
C. Kortholt.

Theses theologicæ.
Ed. II.

Kilon., 1686.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-512 4° 2076




Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-512 4° 2076

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-512 4° 2076



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-512 4° 2076



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-512 4° 2076



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-512 4° 2076

1,-512

DET KONGELIGE BIBLIOTEK
DA 1.-2.S 1 4°

1 1 01 0 4 02076 6

+REX

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-512 4° 2076

THE
THEOLOGICÆ,

In

ACADEMIA,

quæ KILONII HOLSATORUM eſt,

CHRISTIAN-ALBERTINA,

publicè ad diſputandum propoſitæ,

PRÆSIDE

CHRISTIANO KORTHOLT,

S. Theol D. & Prof. Prim.

EDITIO SECUNDA.

KILONI,

Imprimebat Joach. Reumann, Acad. Typogr. 1686.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-512 4° 2076

DET KONGELIGE BIBLIOTEK
DA 1.-2.S 1 4°

…ENTES
&
…OPPONENTES.

CHRISTIANUS GODOFREDUS TILESIUS, Pruſſus.
DANIEL SCHMIDT, Gedanenſis.
JOHANNES HENRICUS DECKER, Hamburgenſis.
VIRGILIUS WEGHORST, Kilonienſis.
MELCHIOR MARTINI, Uxkulla-Livonus.
JOH. LANGEMAKE, Uterſâ-Holſatus.
JOHANN. HENRICUS THAMMIUS, Eckernförda-Holſatus.
CHRISTLIEB JOHANN WENDT, Livonus.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-512 4° 2076

THESES THEOLOGICÆ.
DISPUTATIO I.
DE
SCRIPTURA SACRA.

I.

Scriptura ſacra primum eſt Theologiæ principium.

II. Intelligimus autem Scripturæ S. nomine heic eos ſolum libros, quos ex immediata inſpiratione divina profectos eſſe certo conſtat.

III. Tales ſunt, qui in Veteri Teſtamento Hebraice, in Novo autem Græce, Prophetico & Apoſtolico Spiritu conſcripti.

IV. Ceteri, qui itidem Biblico codice comprehendi ſolent, utut non ejusdem conditionis ſint cum Apocryphis illis ſcriptis, in quæ, tamquam omnino noxia & abominanda, B. Hieronymus aliique priſci Doctores ſolent invehi, ſed utiliter atque cum ædificatione, & olim lecti fuerint, & hodieque legantur (unde etiam, ne cum talibus apocryphis confundantur, *Eccleſiaſtici* veteribus audiunr) non tamen ejus ſunt auctoritatis, ut fidei inde dogmata poſſint ſtabiliri, quemadmodum ex libris Canonicis ſtricte ſic appellatis.

V. Notanter dicimus: Canonicis *ſtricte ſic appellatis*. Nempe dupliciter liber aliquis Biblicus vocari poteſt *Ca-*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-512 4° 2076

uonicus (1) ſtricte. atque ſic non niſi illi libri ita dicuntur, qui ex immediata inſpiratione divina profecti, & infallibilis veritatis ſunt. (2) late. atque ſic libri etiam, quos Eccleſiaſticos paulo ante nominabamus, Canonici interdum nuncupantur ab antiquis.

VI. Hæc diſtinctio vocis *Canonici* non in Proteſtantium cerebro primum nata, ſed jam ante quadringentos annos illa uſus eſt Card. Hugo de S. Caro, & poſtea Card. Cajetanus.

VII. Ea autem obſervata, nullo negotio conciliari cum noſtro Canone poteſt laxior iſte, qui apud B. Auguſtinum lib. II de Doctr. Chriſt. cap. IIX, aliosque veterum nonnullos habetur.

IIX. Scriptura proinde Canonica citra controverſiam θεόπνευςος, proprium & genuinum, idque unicum, rerum Theologicarum eſt principium, certaque, infallibilis, & adæquata norma omnium eorum quæ homini ſalvando ſunt neceſſaria.

IX. Id quod tamen cave ſic accipias, quaſi ex noſtra ſententia omnia neceſſaria in libris Canonicis ῥητῶς ſive totidem literis & ſyllabis expreſſa habeantur, ut non opus ſit ullum accedere conſequentiarum adminiculum (ceu per calumniam Proteſtantibus opinionem hanc tribuunt Jeſuitæ, Gonterius, Veronius, alii) ſed in Scriptura Canonica haberi docemus omnia neceſſaria, ſive conceptis aut æquipollentibus verbis, ſive ita, ut per manifeſtam & evidentem conſequentiam ex formalibus Scripturæ verbis poſſint elici.

X. Rejicimus nimirum omnia alia quorumcunque hæreticorum & heterodoxorum principia Theologiæ propria,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-512 4° 2076

pria, ſpeciatim verbum illud non-ſcriptum Papiſticum, ſive Traditiones.

XI. Porro non perfecte ſolum & ſufficienter, ſed & perſpicue, in Scriptura S. proponuntur quæ ad fidem moresque pertinent.

XII. De Scripturæ S. divina auctoritate primario conſtat homini Chriſtiano ex ipſius Scripturæ ſupernaturali efficacia, & interno Spiritus ſancti teſtimonio; non autem ex propoſitione & teſtimonio Eccleſiæ.

XIII. Ut in literas a ſcriptoribus θεοπνεύστοις referrentur ſacra dogmata, Eccleſiæ fuit neceſſarium.

XIV. Evangeliſtæ & Apoſtoli ſcribendi mandatum divinitus acceperunt.

XV. Nullus liber Canonicus eſt deperditus.

XVI. Verſio Bibliorum Latina vulgata nequaquam eſt authentica.

XVII. Licet & expedit Scripturam in linguis vulgaribus a quibusvis legi.

XIIX. Libri Vet. Teſtamenti Canonici ejusdem ſunt auctoritatis cum libris Teſtamenti Novi.

DISPUTATIO II.

DE

DEO ET SS. TRINITATE.

I.

DAri notitiam DEI naturalem, adeo eſt planum, ut homo etiam Paganus, Maximus Madaurenſis, epiſtola quæ inter Auguſtinianas eſt XLIII, ſcribere non dubitet: *Unum eſſe Deum ſummum, ſine initio, — Naturæ ceu Patrem magnum atque magnificum, quis tam demens, tam*

 men-

mente captus, neget eſſe certiſſimum? & paulo poſt: *Cunctorum mortalium communem Patrem univerſi mortales, quos terra ſuſtinet, mille modis concordi diſcordia veneramur & colimus.*

II. Utut autem, Deum eſſe, eundemque unum, immenſum, æternum, omnipotentem, omniſcium, etiam per rationis principia conſtet, abſit tamen, ut hinc quoque palam eſſe, *Trinitatem perſonarum promanare ex ipſa Dei eſſentia; & Deum eſſe non poſſe, niſi tres habeat diſtinctos exiſtendi modos, ſive perſonas,* cum Keckermanno ſtatuamus.

III. Soli quippe revelationi innititur de Trinitate fides Chriſtiana. Nihilque magis intellectui humano eſt incomprehenſibile, quam, quomodo tres exiſtant realiter inter ſe diſtincti, quorum unusquisque veram habeat divinam eſſentiam, & tamen nonniſi unus ſit verus Deus.

IV. Unde illa infidelium ſcommata: ut, quando in dialogo, qui Philopatris inſcribitur, & Luciano ſolet tribui, ad Triephonis dictum: quod jurandum ſit, (ex Chriſtianorum mente ſcil.) per ὑψιμέδοντα Θεὸν, ὑὸν πατρὸς, πνεῦμα ἐκ πατρὸς ἐκπορευόμενον, ἓν ἐκ τριῶν, καὶ ἐξ ἑνὸς τρία, reponit Critias: *Numerare me doces: & Juramentum* tibi eſt *Arithmetica. Etenim numeras perinde ut Nicomachus ille Geraſenus. Neque enim intelligo quid dicas. Unum Tria, Tria Uuum.* μὴ τὴν τετρακτὺν φῂς τὴν Πυθαγόρου, ἢ τὴν ὀγδοάδα, καὶ τριακάδα;

V. Inde factum etiam, ut varii jam olim a variis quæſiti ſint & hodie etiamnum quærantur modi, ita interpretandi de Trinitate doctrinam, ne rationi ſibi relictæ videatur adverſari.

VI. Præ ceteris Sabellius Patrem, Filium, & Spiritum S.

unam

unam re ipſa perſonam eſſe docuit, ſed trinominem: quæque Pater ſit appellata, ut legem tulerit; Filius, ut incarnata ſit; Spiritus S., ut Apoſtolis ſupervenerit. Plane ad mentem τῶν ἔξω, qui πολυθεότητα ſuam hac ratione excuſabant, quod unus ille Deus pluribus diverſisque nominibus, ob varias virtutes, munera, & beneficia, ipſi inditis, appellari poſſit & ſoleat. Quo ſpectat iſtud auctoris libri de Mundo, quem Ariſtoteli vulgo tribuunt, cap. VII: εἷς ὢν, πολυώνυμός ἐστι κατονομαζόμενος τοῖς πάθεσι πᾶσιν, ἅπερ αὐτὸς νεοχμεῖ. & Senecæ vox, lib. IV de Beneficiis cap. VII: *Quoties voles, tibi licet aliter auctorem rerum noſtrarum compellare. — Quacunque voles, illi nomina propria aptabis, vim aliquam effectumq; cœleſtium rerum continentia. Tot appellationes ejus poſſunt eſſe, quot munera.* item quod habet ille ſupra th. I. citatus Philoſophus Madaurenſis: *Hujus* (unius ſummi Dei) *virtutes, per mundanum opus diffuſas, multis vocabulis invocamus.* Sed & Minucius Felix Philoſophos *Deum unum multis licet deſignaſſe nominibus* ait in Octavio.

VII. Alii inter Patrem & Filium ſubordinationem commenti ſunt, qua hoc iſte etiam dignitate ac poteſtate major ſit: ut ille Remonſtrantium ſ. Arminianorum Coryphæus, Simon Epiſcopius.

IIX. Imo eousque aliqui ſunt progreſſi, ut eſſentiam non numero ſed ſpecie duntaxat eandem in Deo eſſe affirmaverint: ceu alter iſte Arminianæ ſectæ propugnator & propagator acerrimus, Stephanus Curcellæus.

IX. Præiviſſe his dicas Eraſmum, cujus verba, in Hyperaſpiſte diatribæ adverſus Servum Arbitrium Lutheri, ſub finem num. XXIV: *Quemadmodum juxta Dialecticam*

non

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-512 4° 2076

non eſt abſurdum, dicere, tres ſapientes una ſapientia, tres bonos eadem bonitate, tres omnipotentes eadem omnipotentia, tres eſſe, ſed eadem eſſentia, tres volentes eadem voluntate: ita non arbitror impium dicere tres Deos eadem deitate.

X. Nos cum Symbolo Athanaſiano, *Unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in Unitate veneramur; neq; confundentes perſonas, neque ſubſtantias ſeparantes.* Et, *ſicut ſingulatim unamquamque perſonam Deum ac Dominum confiteri Chriſtiana veritate compellimur: ita tres Deos aut tres Dominos dicere, Catholica religione prohibemur.*

XI. Nullam quoque inter Deitatis perſonas ſubordinationem novimus; ſed, uti *Patris, Filii, & Spiritus S. una eſt divinitas*, ſic *aqualis gloria*, atque *coaterna majeſtas*: & *qualis Pater, talis* etiam eſt *Filius, talis Spiritus ſanctus*; eodem docente Symbolo.

XII. Portentoſa eſt Svencfeldii aſſertio, quod in divinis Pater loquatur Filium, Filius loquatur Patrem, Spiritus S. loquatur ſemetipſum, & Patrem, & Filium.

XIII. Similiter monſtroſa ſunt Weigelii ῥήματα· quod Deus ante creationis opus fuerit ſine actione, voluntate, perſona: quod Trinitas cognoſcenda ſit ſecundum tres perſonas corporales: unam Deitatis perſonam tempore priorem eſſe altera. Quamvis hæc & ejus generiſalia φορτικὰ ἀκούσματα ſic explicet, ut ſe ipſum haud dubie non intellexerit.

DISPUTATIO III.
DE
CREATIONE HUJUS UNIVERSI, PROVIDENTIA, ET ANGELIS.

I. Crea-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-512 4° 2076

I.

CReatio h. l. nobis notat illam Dei actionem, qua ſex dierum ſpatio cœlum, terram, quæque in iis ſunt viſibilia pariter ac inviſibilia, per omnipotentiam ſuam produxit.

II. Quia vero actiones Dei duplicis ſunt generis, & quædam extra ipſum in creaturis, quædam in ipſo terminantur, Creatio prioris ordinis, & ex earum eſt numero, quæ actiones ad extra ſolent vocari.

III. Unde porro ſequitur, cum opera ad extra ſint indiviſa, a tota SS. Trinitate mundum hunc eſſe conditum.

IV. Neque tamen propterea Pater, Filius, & Spiritus S. tres creationis cauſæ ſociæ cum Keckermanno, Polano, Bucano, aliisque ſunt dicendi.

V. Porro, ut produxit hoc univerſum Deus, ſic Providentia ſua perpetuo illud conſervat, gubernat, omniaq; ejus & ſingula ad fines congruos dirigit.

VI. Neque enim circa homines ſolum horumque actiones, ſed circa res cunctas, & ſuo modo circa ipſa etiam peccata, Providentia verſatur.

VII. Præcipue interim hominibus ſua illa προνοίᾳ Deum conſulere certum eſt: & ita quidem, ut ſpeciali cura piis & credentibus conſulat.

IIX. Providentia divina nec rerum contingentiam, nec voluntatis libertatem tollit.

IX. Intra creationis ἑξαήμερον una cum ceteris creaturis conditos etiam a Deo eſſe Angelos, ut non dubitandum, ita, quo præciſe die ſint producti, incertum eſt.

X. Sunt autem Angeli vel boni, vel mali. Illi, qui in concreata Juſtitia & ſanctitate perſeverantes, in bono con-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-512 4° 2076

confirmati ſunt: iſti, qui, a prima ſui origine poſtquam defecerunt, abjecti ſunt a facie Dei.

XI. Quodnam primum Diaboli peccatum fuerit, etiamſi ex Scriptura certo determinari non poteſt, Superbiam tamen id fuiſſe, probabilis admodum B. Auguſtini eſt ſententia.

XII. Uti certos dari Angelorum ordines, ex Scriptura S. planum eſt: ſic Hierarchias illas, in quas Pontificii eosdem diſtinguunt, commentitias eſſe, non dubitamus.

XIII. Angeli non ſunt religioſe colendi.

DISPUTATIO IV.

DE

HOMINE AD IMAGINEM DEI CONDITO.

I.

IMago & Similitudo Dei, ad quam homo conditus eſt, ſtylo Scripturæ non notant res diverſas.

II. Imago Dei primo homini concreata, ſi ſtricte vocem capias, ſita fuit in Juſtitia originali, ſive perfectione illa, qua Deum recte cognoſcere, ex toto pectore eum diligere, & per omnia ipſius voluntati conformem ſe gerere poterat.

III. Dominium in creaturas uti tamquam conſequens ad imaginem divinam pertinere non negamus, ſic primario in eo poſitam fuiſſe illius rationem, nequaquam admittimus.

IV. Homo ante lapſum fuit immortalis.

V. Neque tamen recte de eo dicitur, quod mori non potuerit.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-512 4° 2076

VI. Laborandi moleſtia partusque dolores ante lapſum non habuerunt locum.

VII. Ad unius Dei, non item Angelorum, imaginem homo eſt creatus.

IIX. Etiam mulier ad Dei imaginem fuit condita.

IX. Imago divina per lapſum eſt deperdita.

DISPUTATIO V.

DE

LAPSU PRIMORUM PARENTUM, ET PECCATO ORIGINIS.

I.

Lapſus protoplaſtorum, præter externum actum comedendi de fructu arboris vetitæ, etiam interius in mente dubitationem de veritate verbi Dei, in voluntate ſuperbiam, qua, ſua ſorte & felicitate non contenti homines, Deo ſimiles eſſe cupiebant, in appetitu ſenſitivo inordinatum prohibiti fructus deſiderium, atque ſic plura peccata, complectebatur.

II. Lapſum hunc ſubſequuta eſt (1) mors temporalis ac æterna. (2) amiſſio Juſtitiæ & ſanctitatis concreatæ, exactæque illius harmoniæ rationis, voluntatis, & affectuum. (3) prava concupiſcentia, ac in omne malum proclivitas.

III. Et quidem tanta hæc mala non ſibi dumtaxat, ſed poſteris quoque ſuis, primi attraxere parentes: ſic ut omnis ei, ſolo Redemptore excepto, cum *intima* illa, *peſſima, profundiſſima, inſtar cujusdam abyſſi inſcrutabili & ineffabili totius naturæ corruptione* (ita peccatum originis deſcribit F. C.) naſcantur.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-512 4° 2076

IV. Ut proinde graviter olim erraverit Pelagius, (cujus hodie veſtigia Sociniani, Remonſtrantes, aliique ſectarii nonnulli premunt) dum docuit, lapſum protoplaſtorum ipſis ſolis, non poſteritati etiam, nocuiſſe, nec quidquam originalis labis infantes a parentibus trahere: item, *ipſum quoque Adam, ſi non peccaſſet, fuiſſe corpore moriturum; neque moriturum merito culpæ, ſed conditione naturæ*; ut habet Auguſtinus.

V. Prava illa concupiſcentia, quam peccatum originis involvere diximus, non ſolum inferiorem appetendi vim, quæ appetitus ſenſitivi eſt, ſed voluntatis etiam inclinationem in malum, cum omnibus inordinatis motibus, quin & ipſius intellectus de rebus ſpiritualibus perverſe judicandi pronitatem, ſubitoque exortas cogitationes illicitas, complectitur.

VI. Atque hæc ipſa concupiſcentia, hi motus pravi, & deſideria illicita, etiamſi non advertente ratione & ſine voluntatis conſenſu in homine naſcantur, peccata nihilominus proprie dicta ſunt, & talia, quæ ſecundum ſe ſuamq; naturam, æternam poſſunt damnationem attrahere.

VII. Quod autem in renatis actu eam non attrahunt, ex accidenti eſt. Nempe quæ ex carnis infirmitate adverſus mentis judicium in homine inſurgunt, plenumque conſenſum præveniunt, non imputantur, ſed ex Paterna benignitate condonantur iis, qui Deo reconciliati ſunt, & regnare talia minime permittunt.

IIX. Huc videlicet ſpectat proprie diviſio peccati in regnans & non-regnans, quam cum diſtinctione peccati actualis in voluntarium & involuntarium coincidere vulgo exiſtimant. Regnare, inquam, dicitur peccatum originis,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-512 4° 2076

nis, cum homo ejus irritationibus obſequitur; non regnare, quando illa reprimit, obicemque iis ponit.

IX. Quamvis autem peccatum originale malum ſit, quod in hominis natura omnibusque ejus viribus boni nihil, nihil ſinceri reliquit, eo tamen deveniendum non eſt cum Flacio, ut ipſam hominis ſubſtantiam partemve ſubſtantialem id eſſe dicamus.

X. Sed neque ita e contrario extenuandum iſtud malum, ut ſtatuamus cum Zvvinglio: *peccatum originale morbum quidem eſſe, qui tamen per ſe culpabilis non ſit, nec damnationis pœnam inferre poſſit*; lib. de Bapt. tract. III. & Declar. de P. O. ad Urban. Rhegium.

DISPUTATIO VI. DE

PECCATIS ACTUALIBUS.

I.

PEccatum actuale aliud commiſſionis eſt, quod cum lege ſ. præcepto negante pugnat; aliud omiſſionis, quod pugnat cum lege ſ. præcepto affirmante.

II. Peccatum commiſſionis neceſſario fit per actum poſitivum; peccatum vero omiſſionis in ſua ratione formali actum poſitivum non includit, cum formaliter conſiſtat in negatione actus debiti.

III. Interim ſi de omiſſione actus exterioris ſermo eſt, non poteſt is eſſe ſine aliquo actu poſitivo, qui vel directe vel indirecte ad omiſſionem ſe habeat.

IV. Peccatum porro vel voluntarium eſt, quod videl. ex proæreſi & deliberato conſilio committitur; vel in

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-512 4° 2076

involuntarium, quod vel ex ignorantia, vel carnis infirmitate perpetratur.

v. Unde etiam ſubdiſtingui hoc ſolet in peccatum ignorantiæ & infirmitatis.

vi. Ut aliquid ſit peccatum ignorantiæ, requiritur, ut proveniat ex ignorantia circumſtantiarum, neque ſufficit, ut ab ignorante committatur.

vii. Celebris quoque diſtinctio eſt, qua peccatum aliud mortale (h. e. lethale ſ. mortiferum) aliud veniale eſſe dicitur.

iix. Mortale peccatum eſt, quod fidem Spiritumque S. excutiendo, mortem ſpiritualem infert eo ipſo dum committitur.

ix. Veniale peccatum eſt, quod licet in ſe & natura ſua condemnatione dignum ſit, tamen, quia fidem & Spiritum S. in renatis non excutit, ſtatim peccanti condonatur.

x. Nullum vero datur peccatum, quod ſua natura veniale ſit, ſeu veniam mereatur, nec æterna damnatione ſit dignum: ſed quisquis peccatum aliquod, qualecumque tandem illud ſit, perpetraverit, quantum eſt e natura ipſius peccati, ſententiæ ac maledictioni legis eſt ſubjectus.

xi. Quod igitur peccata, quibus voluntas non permittitur ſuccumbere, a Deo haud imputantur, nequaquam id eſt de intrinſeca ratione ipſorum, ſed accidit iis, quatenus ſunt in renatis, converſis, & juſtificatis: quos Deus venia dignatur propter meritum CHRISTI fide apprehenſum, & quibus adhærentes ex corrupta natura imbecillitates, quæque non advertente ratione, nec conſentiente voluntate fiunt, ex mera gratia condonat.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-512 4° 2076

XII. Patet hinc, injurios in nos eſſe Pontificios, quando diſcrimen inter peccata mortalia ac venialia plane nos tollere, & omnia omnino peccata, mortalia facere cavillantur.

XIII. Sed & hoc e dictis liquet, vanos eosdem eſſe Papiſtas, quando ſcribunt, Proteſtantium Eccleſiam non eſſe nec dici poſſe *ſanctam*, cum, ut ipſimet fateantur, tota conſtet ex hominibus mortalium peccatorum labe infectis. Falſum quippe eſt, fateri nos, omnia eccleſiæ noſtræ membra peccatis mortalibus infecta eſſe, id eſt, opera carnis perficere, & patratis contra conſcientiam criminibus fœdari.

XIV. Tandem peccatum vel remiſſibile eſt, vel irremiſſibile. Illud in ſe ſpectatum non excludit pœnitentiam, adeoque remitti poteſt, licet impœnitentibus actu non remittatur. Hoc ſua natura excludit pœnitentiam, & propterea nunquam remittitur. Cujusmodi eſt ſolum peccatum in Spiritum S.

DISPUTATIO VII.

DE

PRÆDESTINATIONE.

I.

DAtur Prædeſtinatio certorum quorundam hominum ad vitam æternam, h. e. tale decretum, quo Deus certos nominatim homines ab æterno ad ſalutem ordinavit, & ſalvare conſtituit.

II. Prædeſtinatio & Electio ſtylo Scripturæ non differunt, niſi rationis diſtinctione, ob diverſa ſcil. connota-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-512 4° 2076

tata, quæ diverſus ſignificandi modus innuit.

III. Electio & decretum electionis, ſeu decretum de hominibus eligendis ante ſecula factum, itidem Scripturæ ſtylo coincidunt.

IV Qui ad æternam ſalutem divinitus prædeſtinati ſunt, eos damnari poſſe negamus.

V. Electio nequaquam univerſalis eſt.

VI. Prædeſtinatio non eſt abſoluta, ſed facta intuitu meriti CHRISTI fide apprehendendi.

VII. Deus, prout intuetur homines ſub communi quadam ratione, ut peccatis infectos, miſeros, opisque & ſalutis indigos, non reſpiciendo ad eorundem diverſam conditionem, ad fidem, inquam, illorum vel incredulitatem, vult omnes homines ſalvos fieri: quam vocant voluntatem antecedentem.

IIX. Hujusque univerſalis Dei gratiæ & φιλανθρωπίας indicium eſt certiſſimum, quod ſuum ipſius filium pro genere humano in mortem tradidit.

IX. Et quidem ad omnes omnino homines mors hæc atque paſſio CHRISTI ſpectat; ſic ut non pro electorum dumtaxat, ſed pro reproborum etiam peccatis eá ſatisfecerit, cunctisque adeo mortalibus gratiam Dei & vitam æternam promeruerit.

X. Actu interim non prodeſt illud CHRISTI meritum niſi iis qui vera fide id apprehendunt ſibique applicant.

XI. Quam fidem quia dare Deus decrevit per Verbum, inde omnibus omnino hominibus hoc prædicari vult, atque ita ad regnum ſuum eos vocari.

XII. Prædeſtinationi opponitur Reprobatio, ſeu ille divinæ voluntatis actus, quo Deus ab æterno, juſta adver-

ſus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-512 4° 2076

ſus præfractos peccatores ira incitatus, damnare, pœnisque ſempiternis afficere conſtituit, quotquot in impœnitentia & incredulitate deceſſuros prævidit.

XIII. Uti enim Prædeſtinatio abſoluta non eſt, ita nec Reprobatio; ſed quemadmodum illius cauſa impulſiva eſt fides præviſa, ſic hujus, præviſa incredulitas: idque non ſolum, ſi abſolute quæratur, cur aliquos homines Deus damnare ab æterno decreverit; ſed & ſi quæratur comparate, cur decreverit hos potius damnare quam illos.

DISPUTATIO VIII.

DE

PERSONA CHRISTI.

I.

CHRISTUM eſſe verum, ſummum, æternumque DEUM, Eccleſia Catholica ſemper, immotis Scripturarum ſacrarum fundamentis nixa, credidit.

II. Tantumque abeſt, ut doctrina hæc Nicenæ Synodi ſit εὕρημα, ceu Neo-Photiniani calumniari ſolent, ut ipſorummet etiam Gentilium teſtimoniis contrarium manifeſto poſſit probari.

III. Ne enim Plinii Junioris huc advocemus locum, epiſt. XCVII libri X, ex ore coram tribunali examinatorum Chriſtianorum ad Trajanum Aug. ſcribentis, quod jam eo tempore, id eſt, ineunte ſeculo ſecundo, noſtri *eſſent ſoliti ſtato die* (Dominico puta) *ante lucem convenire, carmenq; Chriſto quaſi DEO dicere ſecum invicem*; quia de alio forſan quam uno illo ſupremo Deo hæc poſſent accipi: Celſus ſane, Epicureus ille ſub Hadriano Philoſophus, manifeſtum facit indicium, crediſ-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-512 4° 2076

didiſſe tunc Chriſtianos, Jesum noſtrum eſſe Deum immortalem, omniſcium, immutabilem; eundemque e cœlo in terram deſcendiſſe, ut peccato inquinatis mortalibus ferret ſuppetias. Vid. Origenes contra Celſum lib. I, II, III, IV, ubi verba ejus ex opere nunc deperdito recitantur.

IV. Eodem facit, quod Lactantius, Inſtitut. lib. IV cap. XXX, ſua ætate, atque ſic itidem ante Niceni Concilii ſcita, has profanorum hominum voces exauditas fuiſſe, memorat: *vel impoſſibile, vel incongruens eſſe, ut Deus in uterum ſe mulieris includeret: nec cœleſtem illam majeſtatem potuiſſe deduci, ut hominibus contemptui, deriſui, contumeliæ, & ludibrio eſſet, poſtremo etiam cruciamenta perferret, atque execrabili patibulo figeretur.*

V. Porro cum omnem moveant lapidem quos diximus Neo-Photiniani ſ. Sociniani, ut primo capiti Johannis Evangeliſtæ caliginem offundant, rurſum iis opponimus hominem infidelem, Julianum τὸν παραβάτην, qui apud Cyrillum, libro IV contra ipſum, aperte agnoſcit, docere Johannem, quod cœlum terramque Jesus noſter condiderit; & libro IIX cavillatur, Evangeliſtam hunc, dum illum, qui ex Maria genitus, *in principio apud Deum fuiſſe* tradat, Moſi contradicere, qui unum dumtaxat Deum eſſe doceat, eumque Deum Iſraëlis; imo libro X, ſibimetipſi illum adverſari ait, quando Chriſtum Deum eſſe fateatur comm. 1. 2. 3. ejusdemque gloriam hominibus viſam, dum inter ipſos commoraretur, aperte ſcribat comm. 14. & Deum nihilo minus neget ulli viſum umquam comm. 18.

VI. Sicut autem in eo Gentili homine cœciores ſunt Sociniani, quod S. Johannem Evangeliſtam veræ Deitatis & ἐνσαρκώσεως Christi teſtem non agnoſcunt: ita in hoc

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-512 4° 2076

hoc Judæis ſunt ſtupidiores, quod vim petiti a divina generatione argumenti, quale pro evincenda Redemptoris deitate urgeri a nobis ſolet, haud aſſequuntur.

VII. Judæi quippe ex eo, quod CHRISTUS Deum Patrem ſuum dixiſſet, ipſum ſe Deo parem facere collegerunt, Johann. V,18.

IIX. Quin et, quo tenderet Salvatoris ſermo ille: πρὶν Ἀβραὰμ γενέσθαι, ἐγώ εἰμι, Joh. IIX,58. iidem Judæi rectius quam Sociniani intellexerunt. Cur enim, audientes, quod ſe Dominus Abrahamo priorem profiteretur, ſuſtulerunt lapides, niſi quod non ſolum falſa, ſed & blaſphema ipſum loqui exiſtimarent? Vide Levit. XXIV, II. ſeqq.

IX. Porro præter naturam divinam, qua Patri eſt ὁμοούσιος, habet quoque CHRISTUS veram naturam humanam, qua ὁμοούσιος eſt nobis.

X. Abſit enim, ut vel corpus phantaſticum cum Marcionitis, vel delatum ex cœlo, non ex matre Maria aſſumptum, corpus ſpirituale cum Valentinianis, vel corpus ἄψυχον cum Arianis, vel animam mente deſtitutam cum Apollinariſtis ei tribuamus.

XI. Duæ autem naturæ illæ, divina, inquam, & humana, in CHRISTO unitæ, unum ὑφιστάμενον conſtituunt, ſeu unam perſonam θεάνθρωπον.

XII. Quæ naturarum unio non eſt *eſſentialis*; qualis inter hominis animam & corpus: nec *accidentalis*; cujusmodi inter hominem & veſtem, vel inter parietem & albedinem: ſed *perſonalis*.

XIII. Unionem hanc Naturarum ſequitur communicatio, qua humana Dei quoque, & divina etiam hominis natura eſſe cœpit; indeq; propoſitiones reſultant perſonales, qui-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-512 4° 2076

quibus Deus de homine, & homo de Deo prædicatur.

XIV. Iſtas propoſitiones verbales eſſe & improprias, abſurdiſſima eſt aſſertio.

XV. Ex Naturarum communicatione promanat communicatio idiomatum, ſive proprietatum.

XVI. Idiomata autem h. l. non notant præciſe propria ſtricte ſic dicta, ſive quarti modi, ut vocant: ſed ſumitur vox illa heic ad eum modum, quo Ariſtoteli 1 Topic. v dicuntur propria πρός τι (quæ opponit propriis ἁπλῶς) ſic ut omnia huc pertineant prædicata, quæ uni CHRISTI naturæ ita competunt, ut alteri ex ſe non competant: ſive ſint propria quarti modi, ſive accidentia communia, ſive prædicata etiam quidditativa.

XVII. Imo tam late vocabulum iſtud heic capitur, ut actiones etiam, paſſiones, ἐνεργήματα, & ἀποτελέσματα, ambitu ſuo comprehendat.

XIIX. Solent vero tria communicationis idiomatum genera a Theologis conſtitui.

XIX. Et horum quidem primum eſt, quod idiomata alterutrius naturæ vere competunt perſonæ, & proinde unius naturæ idiomata de concreto naturæ alterius recte prædicantur.

XX. Communicatio hæc (1) reciproca eſt, perque eam tum divina de homine, tum humana de Deo Chriſto prædicantur. (2) ſubjectum ſemper heic Concretum eſt, numquam Abſtractum. (3) Vocabula concreta, etiamſi ex modo ſignificandi concretis naturæ uſitato non niſi unam naturam cum hypoſtaſi important, in hoc tamen primo communicationis genere pro tota ex utraque natura conſtante perſona ſupponunt.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-512 4° 2076

xxi. Prædicationes ad primum genus communicationis pertinentes verbales nequaquam ſunt & impropriæ, nec per ἀλλοίωσιν, qualē commentus eſt Zvvinglius, exponendæ.

xxii. Primum hoc genus plane evertit Neſtorius, quando Mariam, matrem Domini, Θεοτόκον dicendam eſſe negavit.

xxiii. Secundum communicationis genus eſt, quo divina gloria & majeſtas humanæ Christi naturæ communicata, ita ut quæcunque ὁ λόγος habet per eſſentiam, eadem aſſumpta caro habeat per unionis gratiam.

xxiv. Videlicet ubicunque duæ inter ſe uniuntur naturæ unione κατὰ συνδίασιν, ſive ita, ut una inſtar δυνάμεως, altera inſtar ἐντελεχείας ſehabeat, (quod fit in perſona τοῦ Θεανθρώπου) ibi hæc vere & realiter illi ſua communicat idiomata.

xxv. Cave autem communicationem tibi heic fingas transfuſivam & ſubjectivam, ſive talem, qua divina idiomata carni ita ſint communicata, ut ipſi competant formaliter, eique inhæreant tamquam accidentia ſubjecto.

xxvi. Sermo enim de ejusmodi communicatione eſt, qua divinarum proprietatum natura humana ita fiat particeps, ut primo quidem, immediate, & ex ſe, divinitati illæ competant, hujusque idiomata & proprietates maneant, interventu autem unionis hypoſtaticæ etiam caro vere ea habeat; ſive, ut, quæ habet ὁ λόγος per eſſentiam, ea aſſumpta natura humana habeat per unionis οἰκονομίαν.

xxvii. Etiamſi autem omnia divina idiomata humanæ Christi naturæ communicata ſunt, non tamen eodem modo de ipſa prædicantur omnia, ſed quædam prædicatione immediata, quædam mediata. Illo modo attributa prædicantur ἐνεργητικὰ, hoc ἀνενέργητα.

xxiix. Atque hæc de ipſis divinis idiomatibus com-

 mu-

municatis. Præter quæ & alia dari dona ſumma ac incomprehenſibilia, creata tamen, quibus caro CHRISTI coruſcat, quæque ſubjective ipſi & formaliter inſunt, nequaquam imus inficias. De his vero ſolis accipienda eſſe quæ humanæ Redemptoris naturæ Scriptura S. tribuit αὐχήματα, id eſt quod negamus.

XXIX. Tertium denique communicationis genus opera reſpicit officii mediatorii, quæ ſecundum utramque naturam CHRISTUS peragit; ſeu, in quibus utraque natura quod ſibi proprium eſt, agit cum communicatione naturæ alterius: ut huc illæ pertineant propoſitiones, in quibus prædicatum non eſt nuda aliqua naturæ proprietas, ſed ἀποτέλεσμα, ut vocant Theologi, ſeu effectus utrique naturæ communis.

XXX. Tametſi autem divina illa majeſtas, quam humanæ CHRISTI naturæ vi unionis perſonalis competere ſupra diximus, a primo ſtatim conceptionis momento eidem fuit communicata, adeo ut, ſimulac in hypoſtaſin τοῦ λόγου aſſumpta eſt, omnium attributorum DEI particeps facta fuerit, eaque in unitate perſonæ vere poſſederit, non tamen iis plene uſa eſt niſi ab illo tempore quo Salvator poſt reſurrectionem in cœlos aſcendit, & ad dextram Dei conſedit. Atque hinc duplex oritur ſtatus: exinanitionis unus, alter exaltationis.

XXXI. Exinanitionis ſtatus eſt, quo CHRISTUS abdicavit ſe, non majeſtate quidem divina in actu primo, ſive καθ᾽ ἕξιν, ſed plenario & perpetuo communicatæ gloriæ divinæ exercitio.

XXXII. Dicimus, abdicaſſe ſe Dominum plenario perpetuoque exercitio communicatæ gloriæ. Neque enim id

volumus, quod toto exinanitionis tempore nullum prorſus ſpecimen divinæ majeſtatis dederit; quum contrarium tot ab ipſo tunc edita miracula, cordiumque & cogitationum ſcrutinium, demonſtrent: ſed plenum nec umquam ceſſantem majeſtatis uſum CHRISTO exinanito negamus.

XXXIII. Præter ſpontaneam illam plenarii perpetuique exercitii communicatæ gloriæ abdicationem Exinanitio etiam dicit formæ ſervilis aſſumptionem, qua Salvator quæ infra majeſtatem divinam ſunt, ſuſtinuit, ad abjectam fragilemq; humanæ vitæ conditionem ſe ſubmiſit, & aliorũ vilium hominum inſtar ſe geſſit, σχήματι inventus ut homo, Phil. II, 7. i. e. quoad externas proprietates & actiones humanas.

XXXIV. Exaltationis ſtatus eſt, ad quem CHRISTUS poſt præſtitam ad mortem uſque crucis obedientiam fuit evectus: in eo conſiſtens potiſſimum, quod omnem carnis infirmitatem exuit, prorſusque depoſuit, & plenarium majeſtatis gloriæque divinæ uſum eſt adeptus.

DISPUTATIO IX.
DE
OFFICIO CHRISTI.

I.

Officium CHRISTI conſtitui ſolet triplex: Propheticum, Sacerdotale, & Regium.

II. Propheticum officium eſt, quo Patris ſui cœleſtis voluntatem, & arcanũ de redemptione ac ſalute noſtra conſilium, hominibus patefecit, ac hodie etiamnum patefacit.

III. Scilicet olim in diebus carnis ſuæ munere hoc immediate functus eſt Salvator: dum legem divinam a

Pha-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-512 4° 2076

Phariſaicis corruptelis repurgavit, Evangelium paſſim terrarum prædicavit, virtutem ſingularem & naturam ſuperantem efficaciam doctrinæ ſuæ ipſemet impertiit, variisque inſuper miraculis fidem ei & auctoritatem conciliavit.

IV. Poſt aſcenſiooem vero in cœlum mediate ſuum illud officium adminiſtrare cœpit, & hodie etiamnum adminiſtrat Dominus, per Doctores ſcil. ac Paſtores, quos in Eccleſia conſtituit, & per quorum miniſterium in hominum cordibus efficaciſſime operatur.

V. Quod autem Sociniani tradunt, CHRISTUM, priusquam munus a Deo Patre ſibi demandatum obire inciperet, in cœlos raptum, ibique aliquamdiu commoratum eſſe, ut ab ipſo Deo audiret quæ mundo mox annunciaturus & revelaturus eſſet, commentum eſt omni Scripturæ fundamento deſtitutum, imo plane illi adverſum.

VI. Eoque magis falſitatis convincitur hæc opinio, quod erroneæ ſuperſtruitur hypotheſi, ideo ſcilicet, antequam munus ſuum Propheticum aggrederetur, cœlum adſcendiſſe CHRISTUM, ut addiſceret, quibus Lex vetus augenda eſſet, & tota doctrina cœleſtis perficienda.

VII. Lex namque vetus neque præceptorum neque promiſſorum ratione imperfecta eſt; novoque adeo LLatore in N. T. non fuit opus.

IIX. Sacerdotale CHRISTI officium præcipue in Satisfactione ejus eſt ſitum, obedientiam ipſius tum activam tum paſſivam complexa: quarum illa in perfectiſſima Legis impletione, hæc in paſſione & morte conſiſtit.

IX. Satisfecit autem CHRISTUS pro omnibus peccati labe fœdatis, adeoq; iræ Dei & æternæ damnationi obnoxiis, illis etiam, qui multo ante quam pro humano genere is moreretur, deceſſerant.

X. Ne-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-512 4° 2076

x. Neque a ſatisfactione excludendi ipſi etiam reprobi.

x.i Ad Angelos vero etiam, eosque bonos, pertinere meritum & ſatisfactionem CHRISTI, quod Pontificiorum ac Reformatorum nonnulli propugnant, nequaquam admittimus.

xii. Perperam negat Thomas, quique cum ipſo faciunt Pontificii, CHRISTUM bona nobis meruiſſe temporalia.

xiii. Ad Sacerdotale CHRISTI officium ſpectat quoq; interceſſio ejus pro nobis apud Patrem cœleſtem.

xiv. Quemadmodum autem pro omnibus hominibus mortuus eſt, ſic pro omnibus quoq; interceſſit & oravit, tametſi non eodem modo; ſed aliter pro incredulis, aliter pro fidelibus & electis.

xv. Nec hodie etiamnum, regnans jam in cœlis, & ad dextram Patris ſedens, interpellare pro nobis deſinit.

xvi. Officium Regium ſecundum potentiam, gratiam, & gloriam CHRISTUS adminiſtrat.

xvii. Potentiæ regnum in providentiſſimo hujus univerſi regimine & conſervatione conſiſtit.

xiix. Regnum gratiæ eſt ipſa Eccleſia, quatenus per divinum gratiæ influxum eam CHRISTUS gubernat.

xix. Regnum gloriæ dicitur, quo Eccleſiæ in cœlis triumphanti hic præeſt gloriæ Dominus.

DISPUTATIO X.
DE
ECCLESIA.

I.

Eccleſia conſiderari poteſt dupliciter (1) ratione inter-

 næ-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-512 4° 2076

næ fidei, per quam vere credentes CHRISTO capiti ſuo adhærent. (2) rationæ externæ profeſſionis fidei.

II. Poſteriori modo ut cœtus eſt hominum viſibilis, in quo recte docetur Verbum Dei, & Sacramenta rite adminiſtrantur: ſic modo priori Eccleſia dicitur Inviſibilis.

III. Fides nimirum in corde latet, vereque credentes, qui Eccleſiam hanc conſtituunt, in promiſcuo malorum & hypocritarum multitudine ita vivunt, ut nec ſenſuum nec intellectꝰ judicio certo ac infallibiliter diſcerni ab iis poſſint.

IV. Tametſi autem in externo omnibusque conſpicuo cœtu Eccleſiaſtico mali & hypocritæ bonis ſunt permixti, ſoli tamen boni, ſeu vere credentes & ſancti, proprie dicta Eccleſiæ membra ſunt.

V. Ceteri ſic ſunt *in* Eccleſia, ut tamen non ſint *de* Eccleſia; ſecundum illud Hieronymi, vel quisquis auctor Regulæ Monachorum, quæ inter Hieronymiana opera extat, cap. de Pœnit. & Miſer. Dei: *Qui peccator eſt aliqua ſorde maculatus, DE eccleſia Chriſti non poteſt appellari, nec Chriſto ſubjectus dici.*

VI. Solet & alio ſenſu Eccleſia dici inviſibilis, quatenus nimirum etiam ille cœtus, in quo vere credentibus improbi & hypocritæ ſunt admixti, tyrannide, hæreſibus, maliſque prævalentibus, in occulto nonnunquam latet.

VII. Eccleſia porro in univerſalem & particularem diſtinguitur.

IIX. Univerſalis eccleſia eſt totum CHRISTI corpus myſticum, ſeu univerſus vere credentium cœtus, ex omnibus particularibus cœtibus ſingulisque fidelibus coaleſcens, eosque ſuo complectens ambitu.

IX. Nimirum τὸ Univerſale non eo ſignificatu heic acci-

accipitur, quo opponitur τῷ καθ' ἕκαϛον, ſive ſingulari, & Univerſale in prædicando dici ſolet (quemadmodum iis perſuaſum, qui ex natura Univerſalium Eccleſiæ inviſibilitatem contra Pontificios ſtabilire nituntur) ſed quatenus opponitur τῷ ἐν μέρει, ſeu particulari, & idem eſt quod univerſum ſ. totum: quomodo, v. c. in Philoſophia Morali Juſtitia univerſalis non inde ſic dicitur, quod de ſingulis virtutibus, ut de Fortitudine, Temperantia, & aliis, veluti genus prædicetur; ſed quia, ut exercitus omnes milites, mundusque omnia corpora, ſic illa omnes virtutes actu complectitur, ſecundum illud Theognidis:

ἐν δὲ Δικαιοσύνῃ συλλήβδην πᾶσ' ἀρετή 'στι.

x. Atq; hinc facile patet, in quonam Eccleſiæ particularis conſiſtat ratio: puta in hoc, quod non omnes in univerſum credentes ſuo complectatur ambitu, ſed extra ſe alias habeat, a quibus certo modo diſtincta ſit, eccleſias.

xi. Amplius Eccleſia vel pura eſt, vel minus pura.

xii. Puram vocamus Eccleſiam, in qua publicum Miniſterium orthodoxiam profitetur, Deique verbum ſincere ſine admiſtis erroribus proponit, & Sacramenta legitime adminiſtrat: minus puram, ubi ſecus fit.

xiii. Poteſt Eccleſia CHRISTI etiam ſub minus ſincero minusque orthodoxo Miniſterio conſervari.

xiv. Veram & univerſalem CHRISTI Eccleſiam nunquam interituram, ſed perpetuo ad finem usque mundi duraturam eſſe, ita contra Socinianos ſtatuimus, ut doctrinam tamen Papiſticam, Eccleſiam errare & deficere non poſſe, nequaquam probemus.

xv. Notæ veræ Eccleſiæ ſunt, pura Verbi prædicatio, & legitima Sacramentorum adminiſtratio.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-512 4° 2076

xvi. Eccleſia his in terris militans non habet caput viſibile.

xvii. Falſumq; eſt, quod Salvator noſter Apoſtolum Petrum tale caput, & univerſalem Chriſtiani orbis Monarcham atque Epiſcopum, conſtituerit.

xiix. Falſum, quod hodie Romanus Pontifex ejusmodi caput ſit, & in univerſam CHRISTI Eccleſiam ſupTematum, idque jure divino, obtineat.

xix. Nec magis verum, quod idem Interpres Scripturæ S. & Judex controverſiarum fidei infallibilis a CHRISTO ſit in Eccleſia conſtitutus.

xx. Negamus quoq; jus ipſi & poteſtatem convocandi Concilia.

DISPUTATIO XI.

DE

MINISTERIO ECCLESIASTICO.

I.

UT quis verus ſit Eccleſiæ Miniſter, peculiari opus habet vocatione.

II. Jus autem & poteſtas vocandi Miniſtros per ſe & ſua natura toti competit Eccleſiæ.

III. Dicimus, competere jus illud toti Eccleſiæ *per ſe & ſua natura.* Per leges enim poſitivas pactaque conventa fieri poteſt ut res aliter ſe habeat.

IV. Neque etiam penes totam Eccleſiam, hoc eſt, clerum, magiſtratum, & populum, jus Miniſtros conſtituendi ita eſſe volumus, ac ſi omnibus illis Eccleſiæ partibus eodem modo conveniret; ſed ut quivis ſtatus heic agat quod ſuum eſt.

V. Ec-

v. Eccleſiaſtici nimirum ordinis præcipue eſt, judicare de perſonæ eligendæ eruditione ac prudentia: de externis vero dotibus vitaque & moribus etiam ceteri ferre poſſunt judicium.

vi. Etiamſi autem non ubique locorum quivis ex plebe Miniſtrorum electioni interſint, ſed certæ dumtaxat perſonæ communi nomine eligant; quin alicubi populus eligendi jus, ſibi alias æque ac ceteris competens, in Magiſtratum & Miniſterium ſponte transtulerit; id tamen non impedit, quo minus electio ſit legitima. Quod enim liberrimo populi conſenſu fit, quodq; firmum & ratum ille habet, id ab ipſomet populo factum eſſe merito cenſetur.

vii. Conſtat hinc, meras eſſe cavillas, quando noſtrarum Eccleſiarum Miniſtros non legitime electos & vocatos eſſe vociferantur Pontificii.

iix. Nec minus nugæ ſunt, eosdem non eſſe rite ordinatos, quod non ſint ordinati ab Epiſcopo, cum primus noſtrorum Paſtorum, Lutherus, Presbyter ſolum fuerit.

ix. Falſo nimirum ſupponunt, ordinandi poteſtatem ſolis Epiſcopis jure divino competere: quos alio quam jure poſitivo Eccleſiaſtico ne quidem a Presbyteris differre, nos cum B. Hieronymo ſtatuimus; cetera tamen diverſos in Miniſterio gradus diſparemque auctoritatem & poteſtatem libenter admittentes.

x. Eccleſiæ Miniſtri non ſunt a poteſtate Magiſtratus Politici exempti.

xi. Iisdem in conjugio vivere licet.

iix. Sed & licet illis accipere ſtipendia.

DISPUTATIO XII.
DE
REGENERATIONE, CONVERSIONE, ET POENITENTIA.

I.

REgeneratio & Converſio ut latius & ſtrictius diſtinguuntur. Omnis quippe Converſio Regeneratio eſt, ſed non contra.

II. Adultorum interim Regeneratio & Converſio coincidunt.

III. Converſio vel tranſitive vel intranſitive ſumitur. Illa Dei actio eſt: hæc nihil differt a lapſorum Pœnitentia.

IV. Eſt videlicet Pœnitentia vel Lapſorum, vel Stantium. Illa locum non habet in iis qui fidem Spiritumq; ſanctum peccando excuſſerunt: hæc in fidelibus quoque reperitur.

V. Partes Pœnitentiæ duæ ſunt: Contritio & Fides.

VI. Contritio ex Lege eſt, non ex Evangelio.

VII. Confeſſio & Satisfactio non ſunt partes Pœnitētiæ.

IIX. Tametſi Regenerationis vox ita late interdum a ſcriptoribus Eccleſiaſticis accipitur, ut Juſtificationē quoq; & Renovationem comprehendat, ſtricte interim loquendo differunt tria illa, tum ratione ſubjecti, tum ratione principii, modique agendi, tum etiam ratione termini ad quem.

IX. Eſtque inter ea talis ordo, ut Regeneratio primum ſit gratiæ opus, quo fides a Spiritu S. in homine accenditur; eamque ſequatur Juſtificatio, qua fides illa imputatur ad Juſtitiam, Rom. IV, 5. & hanc excipiat Renovatio, qua fides

ho-

hominis juſtificati, tamquam ſanctitatis inhærentis principium, Charitatem in ipſo excitando, perque hanc ad quævis bona opera eum ſtimulando, ſe exſerit.

DISPUTATIO XIII.
DE
LIBERO ARBITRIO.

I.

DAtur, etiam poſt lapſum, liberum in homine arbitrium in ordine ad actiones morales.

II. Neq; in talibus libertate ſolum a coactione, ſed & a neceſſitate, homo gaudet.

III. Ceterum in Spiritualibus hujusmodi ipſi libertas non competit.

IV. Hominis videlicet nondum converſi nec intellectus objecta mere ſpiritualia diſtincte & cum aſſenſu cognoſcere poteſt, nec voluntas deſiderare.

V. Speciale proinde Spiritus S. gratia heic opus eſt, i.e. actione tali, qua Spiritus S. mentem ac voluntatem hominis ad ſui converſionem excitat, diſponit, præparat, & ab impedimentis liberat. Quæ *gratia* vocari ſolet *præveniens*, quia arbitrium noſtrum prævenit.

VI. Quemadmodum autem homo naturalibus viribus convertere ſe ad Deum non poteſt, ſed ſpeciali Spiritus S. gratia ad ſui converſionem indiget; ita nulli hæc gratia negatur, ſed omnibus a Deo offertur.

VII. Cave autem gratiam converſionis irreſiſtibilem heic tibi cum Reformatis fingas.

IIX. Poteſt etenim homo, quem ſerio Deus converſum cupit, & cui etiam media, per quæ converti poſſit, beni-

nigne offert, vireſq; ad converſionem neceſſarias largitur, media illa contemnere, Spiritui S. converſionem operaturo, obſiſtere, ipſamque internam gratiam ſupprimere.

IX. Quemadmodum & homo converſus ſemel acceptam fidem amittere rurſum, gratiæque ſtatu poteſt excidere.

DISPUTATIO XIV.

DE

JUSTIFICATIONE.

I.

JUſtificatio in præſenti doctrina non notat realem cordis humani mutationem, qua per infuſionem Juſtitiæ ex injuſto is fiat Juſtus: ſed ſenſu forenſi accipitur, actumq; ſignificat, quo Deus hominem a peccato liberum eſſe juſtumq; decernit & pronunciat.

II. Tametſi enim inſons homo coram Deo non eſt, ſed peccatorum, iræque divinæ & æternæ damnationis omnino reus, ob CHRISTI tamen ſatisfactionem a reatu Deus eum abſolvit, & in tantum pronunciat juſtum, in quantum ipſi Juſtitiam CHRISTI imputat.

III. Ut autem CHRISTI Juſtitiam peccatori Deus imputet, perinde ac ſi ipſemet legem impleviſſet, proque peccatis ſuis ſatis feciſſet, movet eum fides: quod ſcilicet CHRISTI meritum homo peccator intellectu ad ſe applicat, & voluntate in eodem recumbit, ſeu confidit.

IV. Nimirum non *generalis* heic fides ſufficit, quæ in impœnitentes etiam & hypocritas cadit; ſed aſſenſus requiritur *ſpecialis*, quo quis meritum CHRISTI, & huic innixas de remiſſione peccatorum ac ſalute obtinenda æterna promiſ-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-512 4° 2076

miſſiones ſibi in individuo applicat, ita, ut Deum ob CHRISTI meritum ſibi quoque propitium eſſe, indubitato ſtatuat.

V. Ejusmodi intellectus aſſenſus conjunctam habet in voluntate fiduciam, ſic tamen, ut aſſenſus fiducia prior, hujusque cauſa ſit: quandoquidem ideo quis in CHRISTI merito confidit, quod illud ad ſe quoque pertinere ſtatuit.

VI. Cumque præter fidem a parte hominis nihil detur, quod ad juſtificandum ſeu remittendum peccata Deum movere poſſit, ſola fide ipſum juſtificari recte docetur.

VII. Excludit nempe particula SOLA heic omnia noſtra opera, non vero gratiam Dei, CHRISTIq; meritum.

IIX. Gratia enim Dei tantum abeſt ut excludi a Juſtificatione debeat, ut prima potius & principalis ejus cauſa ſit.

IX. Notat vero gratia, qua juſtificari homo dicitur, non infuſam animæ qualitatem, ſed gratuitum Dei favorem.

X. CHRISTUS Juſtificationis cauſa eſt meritoria, ut qui obedientia ſua perfectiſſima pro totius mundi peccatis ſatisfecit.

XI. Falſo Pontificii ſolo Aſſenſu omnem fidei juſtificantis rationem abſolvi ſtatuunt.

XII. Falſo iidem Juſtificationis initium homini per varios actus fidei, timoris, ſpei, dilectionis, pœnitentiæ, propoſiti ſuſcipiendi ſacramenti, novæque vitæ, & obſervationis mandatorum Dei, ſe diſponenti ac præparanti, tribuunt.

XIII. Nihil enim boni, quod ex nobis proficiſcitur, Juſtificationem præcedit, aut eandem meretur, ſive de-

congruo, ſive de condigno: ſed excludit illa omnia opera, ipſam etiam fidem, quatenus ut opus conſideratur.

XIV. Rejicimus quoque Papiſticam de duplici Juſtificatione, prima & ſecunda, diſtinctionem, quarum illam in acquiſitione juſtitiæ inhærentis collocant, eamque ſine operum merito fieri ajunt; hanc in ejusdem augmento, quæ per & propter opera nobis obtingat.

XV. Juſtificandi ratio eadem eſt in Veteri & Novo Teſtamento.

XVI. Fidei juſtificantis ratio formalis non conſiſtit in obedientia Dei ſub ſpe vitæ æternæ.

XVII. Falſa eſt Oſiandri aſſertio, quod ſola Dei eſſentiali juſtitia homo juſtificetur.

DISPUTATIO XV.

DE

RENOVATIONE, ET BONIS OPERIBUS.

I.

RENovatio eſt hominis renati jamque per fidem juſtificati ulterior mutatio, qua caro ipſius cum concupiſcentiis indies crucifigitur, & interior animæ ſanctitas quotidie incrementa capit, Gal. v, 24. 1 Theſſ. v, 23.

II. Nempe non unus ſimplex actus eſt Renovatio; ſed, quo plures fidei, ſpei, & charitatis actus renati in virtute gratiæ & auxilio Spiritus S. perficiunt, eo magis per ipſos renovantur, inque habituali ſanctitate proficiunt.

III. Et hoc Scriptura vocat, deponere veterem, ac induere novum hominem, Epheſ. IV, 22. 24. Coloſſ. IX, 9. 10.

IV. Ne-

IV. Neque enim ipſa hominis ſubſtantia, vel pars aliqua ejus ſubſtantialis, aut naturales animæ facultates, qua tales, his appellationibus innuuntur: ſed homo vetus peccatum notat, quo natura humana omnesque ejus facultetes depravatæ ſunt; novus autem homo vires ad reſiſtendum carni ejusque cupiditatibus, & ad ſectandam ſanctimoniam.

V. Unde patet, fructum ſeu effectum Renovationis eſſe bona opera: quatenus nimirum a novo homine, ſive acceptis per renovationem viribus ſpiritualibus, illa proveniunt.

VI. Nam prout per ea novus homo creſcit, hoc eſt, renovatio ſubinde majora incrementa capit, cauſæ rationem in ordine ad illam habere poſſunt.

VII. Intelligimus autem heic per bona opera dumtaxat ea, quæ a Deo mandata, Legique divinæ conformia ſunt; non opera illa electitia, quibus potiſſimam cultus & ſanctitatis rationem Papatus tribuit.

IIX. Ut autem præcepta etiam a Deo opera vere bona ſint, requiritur inſuper, ut ad Dei gloriam fiant, proximique commodum & ædificationem.

IX. Bona opera non ſunt meritoria.

X. Sunt interim homini ſalvando neceſſaria.

DISPUTATIO XVI. DE SACRAMENTIS IN GENERE.

I.

Sacramentum deſcribit Auguſtinus lib. x de Civ. Dei cap. v, quod ſit *ſacrum ſignum*. & epiſt. v de Signis docet,

eet, quod, *cum ad res divinas pertinent, Sacramenta appellentur*. Cujusmodi Sacramenta fuiſſe omnes V. T. figuras, ritus, ceremoniasque Leviticas, tum eadem hac epiſtola, tum & alibi paſſim affirmat. Similiter Hieronymus, epiſt. CIII, *Apocalypſis Joannis*, inquit, *tot habet Sacramenta, quot verba*. Aliorum veterum teſtimonia damus Disquiſ. Anti-Baron. IV, 27.

II. Hoc autem loco ſtrictius Sacramenti vox ſumitur: prout actionem notat divinitus inſtitutam, qua per externum & viſibile quoddam ſignum gratia Evangelii propria credentibus exhibetur, applicatur, & obſignatur.

III. Talia nimirum Sacramenta inſtituere, ſolius Dei eſt.

IV. Atque a divina hac inſtitutione omnem virtutem ſuam & efficaciam unice illa habent.

V. Quamvis igitur Eccleſiæ Miniſter in ſacramentorum adminiſtratione nequaquam alieno, profano, aut peregrinante, ſed attento tantisque myſteriis digno animo eſſe debeat, &, ſi non ſit, aut contrariam intentionem foveat, haud leviter peccet, ipſum tamen propterea ſacramentum non redditur irritum.

VI. Ut enim fides & incredulitas, probitas ac malitia Miniſtri, ita & devotio ejus ac incogitantia, ſacræ huic rei nec confert quidquam nec derogat.

VII. Præter externum & viſibile elementum requiritur ad ſacramentum quodlibet, Verbum, tum mandati, tum promiſſionis.

IIX. Illud cum elemento ad Sacramenti ſubſtantiam, hoc ad ſalutarem ejus fructum pertinet.

IX. Sunt porro Sacramenta non nuda & mera ſigna, ſed

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-512 4° 2076

ſed media quoque & organa efficacia, per quæ dona ſua Eccleſiæ Deus offert, eademque credentibus confert & obſignat.

x. Ad uſum videlicet ſacramentorum ſalutarem ex parte utentium requiritur fides.

xi. Eſtque falſa & erronea opinio, quod ſacramenta quædam ex opere operato gratiam conferant, ſine fide & bono motu utentis.

xii. Sacramenta ſunt vel Veteris vel Novi Teſtamenti.

xiii. Illa umbræ fuerunt & figuræ: hæc ipſum corpus repræſentant.

xiv. Dicuntur autem ſacramenta V. T. umbræ & figuræ fuiſſe, non beneficiorum Christi (hæc enim in V. etiam T. vere per ſacramenta exhibita, collata, & obſignata ſunt) ſed Christi ipſius, in plenitudine temporis demum exhibendi.

xv. Ejusmodi ſacramenta duo erant: Circumciſio & Agnus Paſchalis.

xvi. Novi Teſtamenti ſacramenta itidem duo ſunt: Baptiſimus & Cœna Domini.

xvii. Nam quæ his ſuperadduntur a Romana Eccleſia, ut Confirmatio, Ordo, Pœnitentia, Extrema Unctio, Matrimonium, proprie dicta N. T. ſacramenta non ſunt: quod vel divina inſtitutione, vel dependente hinc externo elemento, vel promiſſione Evangelii propria, omnino deſtituuntur.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-512 4° 2076

DISPUTATIO XVII.
DE
BAPTISMO.

I.

BAptismus aquæ a CHRISTO inſtitutus, hujusque admiſtratio diſcipulis ab eodem injuncta eſt.

II Et proinde ab omnibus, qui Eccleſiæ membra esſe cupiunt, ſuſcipi ille debet.

III. Baptismus ordinarie adminiſtrandus eſt ab Eccleſiæ Miniſtris: in caſu tamen neceſſitatis a laicis etiam, idque ſine ſexus diſcrimine, poteſt conferri.

IV. Aqua dumtaxat, non alio liquore, in Baptismo uti convenit.

V. Perinde eſt, ſive immerſione, ſive adſperſione, idque vel trina, vel una, Baptismus peragatur.

VI. Sed neque Baptiſmi tangit ſubſtantiam, utrum in prima dicat perſona Miniſter: ego baptizo te; an vero (ut in Græca fit eccleſia) in perſona tertia: Baptizetur hic ſervus Domini in nomine P. F. & Sp. S.

VII. Verba interim illa: In nomine P. F. & Sp. S expreſſe pronunciari oportet, ſicut diſtincte omnes tres Deitatis perſonæ nominentur.

IIX. Præter adultos, infantes quoq; ſunt baptizandi.

IX. Nec quidquam prohibet, quo minus etiam infidelium liberi, ſicubi legitima ratione in Chriſtianorum poteſtatem pervenerint, ſacri hujus lavacri fiant participes; dummodo in vera fide illos & pietate educatum iri ſpes ſit.

X. Quotquot baptizantur infantes, regenerantur, fidemq; accipiunt; non item omnes qui baptizantur adulti.

XI. Semel rite collatus Baptismus non debet iterari.

XII. In-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-512 4° 2076

XII. Inter Baptiſmum CHRISTI & Johannis non datur diſcrimen eſſentiale.

DISPUTATIO XIIX.
DE
COENA DOMINI.

I.

IN S. Cœna præter panem & vinum, vere, realiter, ac ſubſtanatiliter, adſunt corpus & ſanguis CHRISTI.

II. Verba namque Salvatoris, quando is corpus ſuum in divino hoc epulo edere, ſanguinemque juſſit bibere, in ſimplici, plano, & nativo ſenſu, quem ſtatim in animo audientium gignunt, accipienda ſunt, ſic ut neque in copula, neque in prædicato, neque in integra enunciatione tropus admittatur.

III. Ita autem proprietas verborum Euchariſticorum defendenda, ut nulla fingatur Transſubſtantiatio eſſentialis, qua panis ſubſtantialiter abeat in corpus, vinum in ſanguinem Domini.

IV. Nulla quoque ſomnianda heic localis incluſio, alligatio, & commixtio, vel conſubſtantiatio, qua panis cum corpore, & vinum cum ſanguine in unam maſſam phyſicam coaleſcat, aut alius quidam phyſicæ præſentiæ modus.

V. Sed ita ſecundum ipſam ſubſtantiam adſunt in ſacra Synaxi, & una cum pane ac vino vere a communicantibus ſumuntur CHRISTI corpus & ſanguis, ut modus tamen, quo adſunt & ſumuntur, ſupernaturalis ſit, nobisque plane incognitus, ineffabilis, incomprehenſibilis, indeterminabilis, quique ſimpliciter divinæ ſapientiæ ac omnipotentiæ imputari & committi debet.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-512 4° 2076

VI. Veram illam corporis ſanguiniſque Dominici ſubſtantiam indigni quoque in ſacra Euchariſtica accipiunt.

VII. Pro pane & vino non licet aliam terrenam materiam in ſacra Cœna ſubſtituere.

IIX. Indifferens eſt interim, utrum azymus, an panis fermentatus ibi adhibeatur; item, an vulgaris, num vero talis, ut ſunt placentulæ orbiculares, quibus noſtræ utuntur Eccleſiæ.

IX. Vinum Euchariſticum non merum eſſe poſſe, ſed aqua neceſſario debere dilui, contra Pontificios negamus.

X. Sed & fractionem panis in ſacræ Synaxeos adminiſtratione ſimpliciter eſſe neceſſariam, negamus contra Reformatos.

XI. An ſacra ſymbola communicantibus in manus dentur, num vero ipſorum admoveantur ori, Chriſtianæ libertati relictum eſſe exiſtimamus.

XII. Uſus Euchariſtiæ ſub utraque ſpecie a CHRISTO & inſtitutus & præceptus eſt.

XIII. In S. Cœna non eſt proprie dictum Sacrificium.

XIV. Miſſæ Pontificiorum privatæ, ſeu ſolitariæ, omnino improbandæ ſunt.

XV. Euchariſtia non eſt ſacramentum permanens, ſic ut corpus CHRISTI etiam extra ſacræ Synaxeos uſum ſub accidentibus panis præſens ſit, & adoratio propterea ad hoſtiam recte dirigatur.

XVI. Circumgeſtatio panis conſecrati theatrica inſtitutioni Euchariſticæ nullo modo conveniens eſt.

DISPUTATIO XIX.
DE
MAGISTRATU POLITICO.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-512 4° 2076

I.

MAgiſtratus a Deo eſt, adeoque ab homine etiam Chriſtiano bona conſcientia geri poteſt.

II. Ejus poteſtas circa civilia pariter & Eccleſiaſtica verſatur.

III. Poſterior tamen poteſtas hæc non ad ipſa fidei dogmata, ſacramenta, & alia humanæ ſalutis ergo a Deo inſtituta, ſe extendit, ſed externa duntaxat, divinaque lege haud determinata, pro objecto habet: cujusmodi ſunt, congregatio Conciliorum, conſtitutio Scholarum publicarum, & ſimilia.

IV. Magiſtratui Chriſtiano exercere licet publica judicia.

V. Idem poteſt, imo debet, capitali ſupplicio in flagitioſos animadvertere.

VI. Eidem licitum eſt bella gerere.

DISPUTATIO XX.

DE

CONJUGIO.

I.

COnjugium per mutuum maris & feminæ de perpetua cohabitatione vitæque conſortio conſenſum conſtituitur.

II. Conſenſum iſtum, validus ut ſit, & recte ſe habeat, utrinque liberum eſſe oportet, non vi metuve alterutri parti extortum, nec ex errore perſonæ aut qualitatis ad matrimonii ſubſtantiam ſpectantis profectum, vel ab eo qui mente captus, aut alias ob nimiam ebrietatem ratione ſua uti non potuit.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-512 4° 2076

III. Ad legitimum conjugium conſenſus quoque parentum requiritur, vel eorum, qui matrimonium inituris parentum loco ſunt.

IV. Licet in conjugio vivere omnibus, qui per naturam & ætatem ad id idonei, quocunque etiam in ſtatu agant.

V. Non tamen cuivis cum quavis matrimonium contrahere integrum eſt, ſed iis demum conjugibus eſſe licet, qui conſanguinitatis & affinitatis propinquitate non prohibentur.

VI. Prohibitio illa potiſſimum fundata eſt Levit. XIIX. unde quædam repetuntur Levit. XX, & Deuter. XXVII. neque ad ſolas a Moſe ibi diſerte nominatas perſonas reſtringi debet, ſed ad ceteras etiam in æque propinquis gradibus poſitas extendi.

VII. Nec expreſſæ ibi graduum interdictiones ad Legem dumtaxat Leviticam referendæ, quaſi ad ſolos Judæos in V. T. pertinuerint; ſed omnes omnino homines, atque ſic etiam Chriſtianos in N. T. obligant.

IIX. Cognatio ſpiritualis, quam vocant Pontificii, conjugium non impedit.

IX. Verum proprieque ſic dictum Divortium etiam inter Chriſtianos locum habet.

X. Polygamia ſimultanea divino etiam jure eſt interdicta.

DISPUTATIO XXI.

DE

MORTE, ANIMARUM IMMORTALITATE, EARUMQ. STATU POST MORTEM.

I.

MOrs eſt vitæ ex animæ & corporis diſſolutione orta privatio.

II. Cauſæ mortis abſolute & ſimpliciter ſic dictæ, per quas ſcilicet univerſum genus humanum ei factum eſt obnoxium, ſunt diabolus & homo peccator.

III. Cauſæ autem, quæ huic, illi, iſti homini actu mortem afferunt, variæ ſunt: poſſuntque in naturales & præternaturales diſtingui.

IV. Non vero ita in morte diſſolvuntur corpus & anima, ut una intereant; ſed anima etiam poſt factam hanc ſeparationem manet ſuperſtes.

V. Et piorum quidem ſeparatæ animæ, in cœlum ſtatim receptæ, æterna ibi beatitudine fruuntur; animæ autem impiorum, illico in gehennam detruſæ, ſempiternos cruciatus ſentiunt.

VI. Falſum quippe eſt, quod Sociniani docent, poſt hominis mortem animam ejus nihil ſentire, neque ulla re perfrui.

VII. Falſum item, quod ſtatuunt Pontificii, quorundam animas in Purgatorio ad tempus torqueri.

IIX. Sed neque cum Scriptura S. ſatis convenit opinio, quod defunctorum animæ ante ſupremum judicium nec plena beatitudine cœleſti fruantur, nec ſummos inferni cruciatus ſentiant.

IX. Limbus Patrum & infantum, æque ac Purgatorium humani ingenii ſunt εὑρήματα.

X. Abſurda Weigelii eſt aſſertio, Johannem Baptiſtam primum eſſe qui ante Meſſiæ mortem cœlum intraverit.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-512 4° 2076

XI. Terminus vitæ non ita unicuique a Deo definitus eſt, ut anticipare eum homo nullo modo poſſit.

DISPUTATIO XXII.
DE
RESURRECTIONE MORTUORUM.

I.

Reſurrectio mortuorum novam animarum cum corporibus, a quibus per mortem abſceſſerunt, unionem denotat.

II. Nempe non cum aliis, ſed illis ipſis redunientur corporibus animæ, quæ in hac vita eorū fuerunt habitacula.

III. Quod autem ſpiritualia fore reſuſcitatorum corpora dicit Apoſtolus 1 Cor. XV, 43. non de ſubſtantia ipſa, ſed conditionibus accidentalibus, certisque qualitatibus, accipiendum.

IV. Etiam organa illa, quæ in altera vita nullius erunt uſus, ut ſtomachus, v. c. hepar, inteſtina, in reſurrectione reſtituentur.

V. Corpora piorum, quæ heic manca fuerunt & mutila, olim reſurgent perfecta atque integra.

VI. Sed & impios membra recepturos eſſe, quibus caſu aliquo fuere in hac vita privati, non quidem ad gloriam, ſed ad doloris augmentum, omnino probabile videtur.

VII. Perperam negant veterum aliqui, & cum iis Grotius, in reſuſcitatis corporibus ſexus diſcrimen futurum.

IIX Præ ceteris vero explodi meretur Scotus, qui omnes

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-512 4° 2076

omnes feminas, ſola excepta B. Virgine, in ſexu virili reſurrecturas fingit.

IX. Pios omnes reſurrecturos eſſe ſecundum menſuram ſtaturæ CHRISTI, quod nonullis videtur, haud probat locus Epheſ. IV, 13.

X. Nec minus fundamento caret eorum ſententia, qui in illa ſtatura & corporis proceritate, in qua conditi fuerunt protoplaſti, beatos reſurrecturos autumant.

XI. Auguſtinus, Hieronymus, & Dd. Scholaſtici plerique cum ſuo Magiſtro, ſtatuunt, infantes majori corporis mole reſurrecturos eſſe, quam qua obierunt, imo tanta, quantam habuiſſent, ſi umquam ætatem virilem attigiſſent.

XII. Sed probabilius eſt, unumquemque in illa reſurrecturum eſſe ſtatura, in qua obiit. Quo pertinere videtur, quod S. Johannes vidit mortuos magnos & puſillos ſtantes coram Deo, Apoc. XX, 12.

XIII. Reſurrectio univerſalis erit: nec ſoli pii, ſed omnes omnino olim defuncti homines, in extremo die reſuſcitabuntur.

XIV. Dicimus: *olim defuncti.* Quos enim vivos deprehendet ſupremus ille dies, iis id præſtabit immutatio, quod defunctis reſuſcitatio: ut nempe per illam æque corruptione depoſita, incorruptionis gloriæque dotes conſequantur.

DISPUTATIO XXIII.
DE
SUPREMO JUDICIO, ET CONSUMMATIONE SECULI.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-512 4° 2076

I.

CHRISTUS ſub mundi finem viſibili forma e cœlo rediturus eſt ad judicium.

II. Atque hoc erit illud filii hominis ſignum, quod in cœlo tunc apparebit, Matth. XXIV, 30.

III. Nec enim opus eſt de Cruce ῥῆσιν iſtam cum nonnullis accipere, quam Sole fulgidiorem in adventu Domini viſum iri exiſtimant.

IV. Similiter non eſt, cur velimus, quod dicitur ibidem CHRISTUS venturus in nubibus, vel de Judicis ſerenitate aut ſeveritate, vel de Sanctis, cum quibus ipſe venturus eſſe legitur epiſt. Judæ comm. 15. quique nubes teſtium dicuntur Hebr. XII, 1. metaphorice interpretari: cum claræ literæ longe rectius heic inſiſtatur.

V. Tametſi omnes omnino homines, pios pariter ac impios, ſummi Judicis tribunali ſiſtere ſe oportebit, illorum tamen æque ac horum peccata ibi non publicabuntur.

VI. S. Auguſtinus lib. XX de Civ. Dei cap. I, indicium facit haud obſcurum, malle ſe extendere latius, quam ad unum diem reſtringere, ſupremi Judicii tempus. Sed cum ubique in Scripturis ἡμέρα id dicatur, & quidem ἐσχάτη, cumque Judici illi omniſcio cuncta ſint notisſima, unico potius die inſtitutum, quam per aliquot protractum iri, ſolemnem iſtum actum, arbitramur.

VII. Solent etiam de modo, quo deſcriptus Matth. XXV proceſſus Judicialis inſtituendus, varia diſquiri. Ubi nobis probatur Auguſtini illud, lib. XX de Civ. Dei cap. XXX: *Quo modo atq; ordine judicium illud ſit futurum, magis tunc docebit rerum experientia, quam nunc valet ad perfectum conſequi hominum intelligentia.*

IIX. Ju-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-512 4° 2076

IIX. Judicium extremum ſigna quædam præcedent, tamquam inſtantis vel etiam appropinquantis ſupremi diei indicia: eaque vel communia, vel propria.

IX. Communia dicuntur, qualia alias etiam occurrunt: ut hæreſium multiplicatio, totius orbis per bella, ſeditiones, peſtilentias, terræque motus, conturbatio, horribilis piorum perſecutio, & ſimilia, de quibus Matth. XXIV, 6. ſqq.

X. Propria ſigna ſunt, quorum ſimilia non occurrunt alibi: ut revelatio Antichriſti, II Theſſal. II, 3. quæque de Sole, Luna, & ſtellis, Dominus prædicit Matth. XXIV, 49.

XI. Tametſi enim non deſunt, qui metaphorice poſteriora hæc exponi debere diſputent, præſtat tamen ſimplici ſenſu ea & ſine figuris capere.

XII. Ad ſigna propria adventum Domini anteceſſura referri etiam ſolet: quod ante ſupremum diem Gog & Magog. h. e. Turcis, inſignis aliqua clades aut pernicies immineat, Apoc. XX, 9. quod Babylon Apocalyptica, i. e. Roma, e ſummo faſtigio prolapſura ſit, tandemq; in vaſtitatem & ſolitudinem redigenda, Apoc. XIIX, 2. quodque obſtinatiſſima Judæorum gens tandem convertenda ſit, Rom. XI, 25.

XIII. Peracto judicio ſequetur mundi hujus conſummatio, qua cœlum & terra cum omnibus corporibus interitura & conflagratura ſunt.

XIV. Qui quidem interitus omnimoda ipſarum ſubſtantiarũ abolitio erit, non accidentium dumtaxat & qualitatum commutatio.

DISPUTATIO XXIV.

DE

STATU BEATORUM ET DAMNATORUM.

I.

BEatitudo æterna, ex parte intellectus conſiderata, conſiſtit in clara & intuitiva Dei viſione.

II. Ad viſionem hanc requiritur lumen gloriæ, ſive habitus infuſus, quo intellectus ad Deum clare & in ſeipſo cognoſcendum ultra & ſupra naturam ſuam elevatur.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-512 4° 2076

III. Atque hoc ità elevato intellectu diſtincte vident beati, & quidem uno ſimplici actu, quæcunque formaliter in Deo ſunt, eſſentiam ſcilicet, attributa, & perſonas divinas.

IV. Libera autem Dei decreta, & perfectiones creaturarũ, ut quæ actu & formalirer Deo non inſunt, viſio beatifica non attingit.

V. Ex parte Voluntatis ſpectata beatitudo conſiſtit in amore Dei ardentiſſimo.

VI. Cumque nec a viſionis nec amoris ejus actu ceſſare umquam poſſint beati, conſequens his neceſſarium eſt, tantæ eos eſſe ſanctitatis, ut omni plane pëccato careant.

VII. Unde non poteſt non ineffabile idque ſempiternum oriri gaudium.

IIX. Ne quid vero deſit beatitudini (quam *ſtatum bonorum omnium aggregatione perfectum* eſſe dicit Boetius) & ſummæ quidem beatitudini, qualis eſt de qua nunc agimus, præter animæ perfectiones etiam corporis dotes accedent: impaſſibilitas puta, ſubtilitas, agilitas, claritas.

IX. Quamquam claritas in omnibus beatis non æqualis futura eſt, ſed pro diverſitate eorum quæ heic geſſerunt, variatura.

X. Beatitudini æternæ opponitur æterna damnatio: idque tum privative, tum poſitive.

XI. Ut privative beatitudini opponitur damnatio, conſiſtit in *pœna damni*, ceu vocant, ſive in carentia omnium illorum bonorum, quæ ſupra recenſuimus.

XII. Ut vero eidem opponitur poſitive, tum corporis tum animi dolores & cruciatus complectitur: quam vocant *pœnam ſenſus*.

XIII. Pœna infernalis æterna eſt, omnisq; termini expers.

XIV. Ejus tamen certi ſunt gradus, ad pœnam ſenſus quod attinet; & pro delictorum gravitate etiam damna poſitiva exaſperantur.

XV. Ad cetera quod ſpectat, quæ de damnatorum conditione, & loco inprimis, curioſe diſputari ſolent, probantur nobis omnino illa B. Gerhardi: *Præſtat de inferno per Pœnitentiam & ſincerum Pietatis ſtudium evitando in vero Dei timore ſolicitum eſſe, quam ſcrupuloſe ejus eſſentiam extra Verbi limites indagare.*

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-512 4° 2076

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-512 4° 2076